NONNULLA DE GRAVIDITATE, DEQUE ADMINICULIS CUJUS OPE AD…

Paolo Calvi

NONNULLA
DE GRAVIDITATE, DEQUE ADMINICULIS
QUJUS OPE
AD FAUSTUM PERDUCATUR EXITUM
DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI, SAPIENTISSIMI AC MAGNIFICI DOMINI RECTORIS,
PERILLUSTRIS FACULTATIS MEDICAE P. DIRECTORIS
SPECTABILIS DOMINI DECANI
NEC NOM
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM M. D. PROFESSORUM

AUSPICE
DOCT. JOSEPHO MORETTI
BOTANICES PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO

PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

PAULUS CALVI
EX SFORZATICA IN AGRO BERGOMENSI

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus mense Januarii 1836.

TICINI REGII.
Ex Typis Fusi et Socii



INTRODUCTIO.

Opus cujus gratia viventium species renovatur, atque se se perennat, sublime sane et admirandum, omni tempore, habitum fuit. Ibi magis quam in cunctis aliis operationibus, natura videtur studium omne impendisse suum. Nil mirum itaque si cujusvis aevi medicorum non tantum, sed legislatorum quoque attentionem, et curas sibi vindicaverit, ut prospere natura hunc finem attingere posset. Hac de causa academico muneri, ad summos medicinae honores rite assequendos functurus, nullum praestantius seligere potuisse argumentum tractandum mihi visum est, quam nonnullas gravidarum breviter perstringere mutationes, et praecipuas inde tradere regulas, unde haec functio feliciter suum absolvat curriculum.

Ab hisce jam clara elucet meae lucubratiunculae partitio: primum ideo mutationes praecipuas disquiram dinamico-organicas quas gravidae patiuntur, ut inde observationibus et experientiis innixus, quas colligerunt, et colligunt

in arte Periti, relate ad ea quae gestationis opus juvant aut laedunt, in parte secunda momenta adjiciam, quae plus minusva praegnantibus conveniunt, vel nocent; ut inde regulae et praecepta eliciantur, quibus singulis in casibus gravidae dirigi possint. Utinam haec quaecumque futura sint, mea verba, nonnullas ab aerumnosa arceant graviditate mulieres! utinam vel unum tantum imperio firmiorem praestare individuum valeant! Quod si huic quae alte pectore fervet, cupidini explendo obsit virium defectus, jam voluisse satis animo est.

Voluntatem itaque tantummodo perpendat benevolus lector, atque benigne erroribus, quos passim inveniet, indulgeat.

De Graviditate.

Cum individua corpora perpetuis mutationibus sint obnoxia, ita ut citius aut serius intereant, illa imminui constanter deberent, nisi peculiaris vigeret nisus, quo classes, et species corporum conserventur. Lex ita conservationis ponitur per facultatem generativam, vel propagativam, quae organicis solummodo est propria corporibus. Tali modo ut jacturae restaurentur, quae in corporibus per mutationes contingunt, novis natura indiget mutationibus quae, dum loquimur de animalibus superioribus, in foemina obveniunt.

Primam igitur hujusce opellae partem aggressurus, nempe duas prophases inquiro a graviditate prodeuntes, cum Capuron praemonuisse lectorem juvabit: illud unum in hoc phaenomeno certi esse, quod istud densis obtegatur tenebris. Natura semper in suis operationibus admirabilis, videtur adeo arcane in hoc actu egisse, ut neque de istius functionis initio foeminam consciam voluerit. Nihilosecius, si fides Hippocrati est praestanda, mulier quae concipit fremitum involuntarium unde contremit, nec non voluptatis sensum experitur; quem postea generalis excipit delassatio. Juxta vero Galenum, conceptionis momentum distinguitur, a quodam spasmo, aut interna constrictione. Fertur praeterea quasdam mulieres, conceptionis tempore, urentem persentire calorem, dum aliae, primis post coitum diebus, motum percipiunt secus tubarum Fallopii decursum, levibus hypogastrii colicis comitatum. Sed haec magni non sunt facienda, quippe quae et adesse et deesse in gestationis initio possunt: potius ista recensuimus, ut quaedam habeantur indicia de conceptione peracta, et inde ad mutationes progrediatur, quae graviditatis tempore occurrunt.

Satis est leges dignoscere animalis oeconomiae, et praecipue uteri influxum supra universum organismum, ut idea habeatur de perturbationibus, quas graviditas in vitae proprietatibus inducere debet; et istae omnium primum

in mutata systematis nervosi conditione sunt inquirendae. Hoc viscus nervorum ope commercium, sive consensum cum cerebro, cum medulla spinali, cum organis nervosis ramulis ab hisce centris instructis, et cum systemate sanguifero sane admirabilem sustinet, ex quo fit ut, e mutata systematis uterini conditione, quam mox enumerabimus, integrum in consensum trahatur organismum. Praegnatio enim foemineum corpus peculiariter afficit, ac sentiendi modum, et ipsa fere organa aliquantulum mutat. Quarum modificationum indoles, et causae quamvis ignorentur, scimus tamen, omni prope graviditati eas aliquamdiu adhaerere. Est enim cum hac valetudine, ut cum plurimis rebus aliis, quas usus et experientia comprobant, quin tamen plausibili aliqua ratione queant explicari.

Atque in illis modificationibus, easque recipiendi opportunitate omnium quibus praegnatio distinguitur, item aliarum rerum, quae in matre ad conservationem et incrementum foetus, tum ad partum, post ad primam editi infantis alituram faciunt, princeps causa latet. Haec res interea ex se nihil morbidi habet; contra convenientissimum mulieri moderamen profert. Inest imo saepe graviditati aliud commodum; ut non paucas infirmitates persanet, aliis praevertat.

Alia porro primo a coitu foecundo tempore constantia phaenomena localia in utero, et ad-

junctis partibus observantur, quaeque ad sequentia reduci possunt. Concitatis per actum generationis partibus genitalibus, et adducto peculiari sensus corporei statu, uterus, tubae et ipsa etiam ovaria energia vitali augentur, et in statum fere inflammatorium adducuntur, unde non absque omni jure praeclarissimus Tommasinius graviditatem phlogosim uteri physiologicam compellaverit. Treviranus autem mutationem hanc, quae sine dubio spermatis actione ponitur, analogam censet effectui, quem contagia in corpore animali evolvunt. Qualis ex hisce sententiis magis veritati consona sit, nos declarare non audemus.

Incitantur vesiculae ovariorum a coitu foecundo, accommodantur uberiore sanguinis copia, inflammantur, turgent, calyces eorum atro sanguine humore, et prominent una hora vel paulo serius a coitu in ovarii superficie, ut papillis mammarum sint similes.

Tubae sanguine plenae, volumine auctae, et humore abundantes reperiuntur. Post plures demum dies, canales ii ovaria versus torquentur, et laciniae eorum, atro sanguine turgentes, ovarium amplexantur, usque firmiter ei adhaerent. Accommodatur praeterea ostium abdominale tubarum, vesiculae prominenti, ita ut ovulum ipsum ab ovario solutum, in plurimis casibus, incidere debeat.

Porro, incitatis vesiculis, tunica eorum rum-

pitur, et separantur ovula, quae serius duplici membrana vestita, ab humore limpido albuminoso repleta apparent. Aliquod enim diebus a coitu, vesiculae aedem inflammantur, et cumulato albuminoso humore rumpuntur, et in ovario ubi ovulum ante adhaeserat, emergit flavescens, doriuscula, et turgida soliditas corpus luteum vocata. Quaeque in plerisque casibus foetuum numero respondet, sed testante potissimum Blumenbach, etiam sine concursu cum maribus efformari possunt. Censet enim hic auctor, imaginationem dumtaxat sufficere, ut orgasmum excitetur, et ovula rumpantur, sed tunc numerus eorum tum in mulieribus, quam in virginibus longe major esse deberet.

Demum promovent tubae ovulom, ostio abdominali receptum pedetentim in uterum tertia hebdomada, et illud, villorum ope, in nexum cum utero ponitur, ac celeriter progreditur foetus evolutio.

Atque aliae, etiamnum, et majores, in utero contingunt mutationes. Generice augetur hoc viscus volumine, et mole, expanduntur ejus vasa, suum parenchima spongiosum evadit, magis explicantur ejus fibrae musculares, internam uteri faciem recens tunica investit, quae ovulum sensim per tubam in matricem delapsum obducit. Hoc velamentum proxime ad uterum pertinens, quia nonnisi intra graviditatem comparet, excluso foetu partim cum placenta, par-

tim cum lochiis abscedens, Hunterus membranam caducam vocat. Ea veteribus, qui illam obscure noverant, titulo membranae ovi villosae innotuit, sed proprium non tam ovo, quam ipsi utero attributum velamentum sistit. In illo quippe humores ex matre, per vasa et textum cellulosum, in systema placentae foetus meant, ibique absorpta, et majoribus venis recepta, ad foetum pergunt. Atque hoc modo in omni gravida circulationis nova species exsurgit, perduratque; ut vel ex hac causa fieri mutationes in corporatura necesse sit.

Sub hisce circumstantiis uterus concluditur, illiusque collum tenaci materia velut obglutinatur, quemadmodum Chambon existimat. Ea quomodo provida natura curam studet, ut foetum, quem gravida inter ilia fovet feliciter increscere, et ad maturitatem perduci possit. Et quum germen paullatim evolutus molam quotidie majorem attingere debeat, operam dedit ut aequali ratione matrix quoque evolveretur, adeo ut viscus prius duorum pollicum ante partum, in molem pedalem et amplius increscat; cavea vero quae in virgineo utero exigua et triangularis fuerat, in figuram ovalem expandatur 40 poll. cub. fere capacem, et pondus paucorum scrupolorum ad plures libras perveniat.

Ea autem lex juxta quam uteri evolutio procedit: In primo mense, mutationes sunt parum sensibiles, et etiam inconstantes, in secun-

do uterus aliquantulum pondere augetur, et magis descendit in pelvim; in tertio ejus volumen adeo augetur, ut ultra pelvim adsurgat; in quarto ejus fondus supra pelvis cavum attollitur; in quinto inter cristam ossium pubis, et umbilicum tangitur; in sexto umbilicum attingit; in septimo ad tres fere digitos transversos ultra umbilicum adsurgit, quapropter fossa umbilicalis plana redditur; in octavo medium locum tenet inter umbilicum, et scorbiculum cordis; in nono scorbiculum cordis attingit; sed procedente hoc mense aliquantulum adhuc descendit.

Si itaque adeo ingens advertitur, praecipue ultima graviditatis epocha, uteri moles unicuique patet, quomodo ventrem pandere debeat, ut tandem antica facie sua, tum quoque superiori, absque intermedio peritonaeum attingat; intestina prae se removat, ac procedente tempore, plerasque alias ventris partes quodammodo extra suetam locationem disponat. Praeterea si adeo uterus ingrandescit, si tantum acquirit ponderis necessario nervos, et vasa iliaca mole gravare debet, cunctaque abdominis viscera comprimere. Sed hic mutationes non immorantur ob adaucta uteri sensibilitate, irritabilitate, volumine et pondere, sed per physiologicum illum consensum, at per illam partium contiguitatem quae abdominis inter, et pectoris viscera intercedit, in compassionem integer trahitur

thorax. Munimus etiam, quod hoc viscus, nervorum ope, commercium sustineat cum cerebro, eoque fere omni systemate nervoso; et reapse facultates intellectuales, sensuum exteriorum functiones, aliaque complurima organa, quae nervorum ope cum utero communicant, sat magnas perturbationes, graviditatis tempore, patiuntur.

Phaenomenon demum, quod vix non constanter, sub graviditatis stadio observatur sistit fluxus menstrui cessatio. Verum est quod summi viri Deventer, Chambon, Baudeloque, et plures alii cathamenia in quibusdam foeminis, sohummodo gestationis periodo, observarunt, et non adeo infrequenter reperiuntur mulieres juvenes, et plethoricae, quae primo conceptionis tempore, mensibus adhuc salutantur; sed haec potius ut totidem aberrationes sunt habendae, nisi ab uteri cervice, et a vagina decedant. Uno verbo videtur natura etiam atque etiam enitutsse, ut cunctas ejus viras ad embrionis incrementum profunderentur, illasque omnes in organo, quod novi germinis evolutioni inservit, coercere malut. Nova ibi tum evolvitur sensibilitas, mulier hocce in organo majorem persentit calorem, vim, atque pondus. Demum concluderis fas est, germen vitam incitare organorum propriae evolutioni, et incremento inservientium; et cum quibus, ut ita dicam, per novem menses se se assimilare debet. Parum

igitur a veritate abludit illa praeclarissimi Tommasini sententia: » l' utero gravido presentare i passi successivi come di una infiammazione, e di quelle increscenti vegetazioni, che sono nei visceri il prodotto di uno stato flogistico ». Eodem principio innixus perillustris Onofrius Scassi deciduae Hunteri efformationem a phlogistico processu repetit, dum tali modo se se exprimit: » Membranas ab inflammatione productas longe nobiliorem, quam a simplici lymphae condensatione, originem habere verosimile videtur. Vim illam organico corpori congenitam, quae valet partes nonnullas resectas reproducere, novas evolvere, sanas morbo confectis substituere, hujus generis (nimirum caducae membranae Hunteri) auctorem esse tota suadet analogia. »

Quocumque autem modo se se res habeat, in hoc perdifficili naturae misterio elucubrando, melius fortasse propriam decet fateri ignorantiam, et cum illis Von-Swietenii verbis concludere: » sufficiat medico, fideli observatione, haec didicisse, licet qua lege fiant ignoret ». Neque naturae scrutatores hac erubescent confessione, si mente revolvant illud perspicacissimi caeteroquin Cabanis effatum: » Envain l'homme parle souvent des causes, qu' il se flatte d'avoir decouvertes, et de celles qu' il se plaint de ne pouvoir découvrir, mais les vraies causes, les causes prémieres, sont aussi cachées pour lui, que

l'essence même des choses; il n'en connait aucune. »

Haec pauca, hac in brevi mea diatriba, praemittenda erant, non quod mihi mens esset de graviditate sermonem habere (etenim fusius tunc in hoc argumento erat immorandum, ad quod peragendum et vires et tempus deerant), sed ut securius progrederetur ad alteram mei laboris partem, et quidem utiliorem, nempe ad regimen discutendum, quo gravidae oti debent ut prospera per integrum hoc tempus, qua saltem gestationis status sinit, fruantur valetudine, et graviditas feliciter suum absolvat curriculum.

Pars Altera.

Quae concepit, et utero gestat germen evolvendum, et maturandum foemina, pro sana habenda est, imo non deficiunt exempla nonnullarum, quae post conceptionem meliori etiam sanitate fruuntur. Ut tamen inter physiologicos limites hic processus contineatur, gravida rerum diaeteticarum usum rationalem, ejusque conditioni accomodatum, faciat oportet; id quod prae caeteris, valet de urbanis, et divitibus foeminis, quae ut plurimum, illis abutuntur rebus, quae gestationi nocent. Accomodare igitur potentias pro vita necessarias sensibilitati, et irritabilitati, quae mirifico modo in gravidis augentur; aequilibrium conservare humorum, et

praesertim circuitus sanguinis inter varias corporis partes, quod in gratiam uterinae evolutionis facile perturbatur, vegetationem promovere, ut generationis opus ad suum culmen perveniat, sunt totidem momenta, quae gravidarum diaetam regunt. Cum autem diversa graviditatis epocha, diversum sibi regimen postulet; sic in exponenda diaeta foeminis praegnantibus singulis in casibus magis congrua, graviditatis temporibus respectus semper habebitur. De gravissimo hoc argumento disserentes, talem nobis proponimus ordinem ut de cibo et potu; de aëre; de corporis exercitio; de vestitu; et ultimo de mentis, et animi directione successive agatur; quibus omnibus nonnulla addere possumus de coitu, et medicaminibus quae gravidis in usum veniunt.

De Cibo et Potu.

Non absque omni jure ille summus Spartae legum conditor Licurgus indixerat, ut omnes Lacedemonii indiscriminatim una simul publice epularentur, ne cives cibo nimis, aut potui indulgentes vires, moresque illorum effeminarentur. Eadem ratione sat consonum veri illud fuit Boerhaavii responsum, qui percunctatus, quaenam in culpam vocari possent causae morborum antiquis latentium, dixisse fertur: » coquos numera. » quod responsum jam Seneca sui aevi

Quiritibus dederat. Et revera primi terrarum incolae nonnisi perexiguum morborum numerum dignoscere debebant, quum nemorum arbores, et armentorum lac simplices illis, salubresque suppeditabant cibos. Quae cum ita sint pro cunctis individuis generatim, nemo sane non videt, quantum arctius hujusmodi regulae pro foeminis praegnantibus sint servandae. Erronea enim, et nociva quarumdam foeminarum evincitur opinio, quae alimoniam pro duobus individuis annendam esse autumant; siquidem vel plethora cum suis sequelis, vel gastricae sordes inde progignuntur. Verum est, quod nobis non latet, errores diaeteticos gravidis non semper exitiosos esse: immo experientia abunde confirmavit foeminas gestantes, et ingentes alimentorum bonae notae quantitates, et cibos digestione difficillimos, ac omni intuitu pravos impune quandoque ferre, quemadmodum exemplis modo dilucidabimus. Medici plurimas referunt historias mulierum, quae uterum ferentes, carbones, lignum, herbas non esculentas, lanam, terram, calcem etc. sine damno ingurgitarunt. Quum faucium aut stomachi ardore laboraverit, quamdam praegnantem mulierem zingiberis aliquot libras devorasse, enarravit Galenus. Tulpius de foemina locutus est, quae ante partum mille et quadraginta comedit haleces, quin ullum experiretur salutis detrimentum. Van-Swieten tandem de muliere testatur, quae vini ingentem copiam

sine damno potavit, ne de aliis dicam animadversione dignis hujusmodi rei exemplis. Haec vero tanquam totidem digestionis abnormitates sunt habendae, et potius relegandae veniunt cum illis appetitus aberrationibus, de quibus Capuron mentionem habet. Refert iste Auctor, quamdam mulierem cupidine exardescere humeros comedendi cujusdam molitoris, quem transeuntem viderat in via; et pariter loquitur de alia, cui in deliciis erat aërem ingurgitare, a mantice quodam exeunte. Istiusmodi exempla praegnantes ne prospiciant oportet. Quantitas alimentorum, etsi valde relativa, ipsae imminuere vel augere pro diversis gestationis stadiis debent. Prima graviditatis epocha, minorem gravidae perferunt alimentorum copiam. Cessante, hoc tempore, utplurimum sanguinis menstrui fluxu, vera inde enascitur plethora, quae eo clarius semper apparet, si respiciamus, quod minima hujusce laticis portio, pro foetu alendo, sit necessaria, ideoque cum sat exiguum sit virium dispendium, et major quam requiritur habeatur hujusce humoris quantitas, liquido patet, quod necessitas non urgeat cum cibo labefactatas organicas restaurare vires. Econtra, quidquid magis meam roborat thesim, non infrequenter in primordiis graviditatis, insurgit necessitas sanguinem emittendi, ut excedens compescatur vitalis energia. Natura eadem praegnantes commonere videtur, quod inter moderatos tempe-

rantiae limites se continere debeant. Offendimus enim non raro foeminas, hoc periodo, anorexia, vel etiam vera apositia laborantes, nec non saepenumero aliae observantur, quibus nausea concitatur a cibis large nutrientibus, et econtra nonnisi quae minus nutriunt appetunt. Si vero ipsae parum instinctui auscultantes, immoderatam nihilosecius ciborum molem ingurgitare audent, ventriculus, cum illas perferre non valeat, salutari ductus instinctu, per vomitum vix non semper ab eis liberatur. Et grates quammaximae sunt naturae habendae, quae hoc modo erroribus occurrit, quos aliquando mala perpatrat mulierum mens; secus diversarum specierum saburrae in scenam prodirent, quae et gestanti et foetus, pergraves morbos, et necem fortasse parare possent. Progrediente graviditate, et praecipue circa quartum mensem, organismus, ut ita dicam, novo assuefit existentiae generi, non amplius illa apparent consensualia morbosa phaenomena, quae ab uteri adaucta nervorum sensibilitate pendent; praeterea sanguis menstruus retentus foetus evolutioni inservire debet, crescit quapropter ciborum desiderium, et necessitas, atque ventriculus tum largos cibos perraro respuit; unde illo tempore majori in copia, et frequentius gravidis alimentum est concedendum. Adventante vero gestationis fine, iterum necessitas insurgit ut mulier singula vice pauca sumat alimenta, etsi saepius illis indul-

gere queat. Etenim tunc ventriculus, ab utero in excedentem molem elato, compressionem sat magnam patitur, unde illius angustatur cavitas, quapropter magnam ciborum copiam perferre non valet; sed econtra maximum virium dispendium in matre, quod necessarium evadit ad vitam foetus sustinendam, nec non illa individualis firmitas, quae ad partum absolvendum requiritur, quidquam largiorem pro matribus suadent alimoniam.

Nec alimentorum qualitas in hoc vitae statu pro foeminis indifferens est. Si eorum digerentes vires generatim semper minus validae apparent, ita ut vix unquam cibos illos perferre queant, quos homo, etiam mediocri robore praeditus, digestioni subjicere potest, quanta tunc cum per graviditatem fistula gastro-enterica ad maximum erethismi gradum est evecta, ipsae cum circumspectione incedere debent in victu seligendo, ne illis se devoveant qui cum difficillimae sint digestionis, a ventriculo nequaquam concoqui possent? Hoc sub intuitu vegetabilia aptiora censentur, uti essent olera, fructus cocti, parco carnium usui intermixta. Quum vero haec non semper necessitatibus gravidarum sufficiant, in usum vocanda sunt illa alimenta quae, sub parva mole, multum materiae nutritiae recondunt, quaeque e viribus etiam imbecillioribus, ventriculi facile subiguntur. Commendantur hinc carnes sic dictae

ribae assatae, ova sorbilia, orisa, joscula carnium concentrata, gelatinae, aliaque hujus generis. Aromata praegnantibus nocent. Atque, etsi ventriculus lente proprium fungat munus, cum hoc, repeti debeat a quodam oppositionis nexu inter illum et uterum, opportet potius ad congruos cibos confugium habere, quam ad medicamina, praecipue si ad stimulantia spectent.

Ast haec regulae religiose semper a faeminis observari non possunt, infinitus enim appetituum numerus, hoc tempore, illas vexat. Organon gustus, hac epocha, videtur peculiari modo se se immutasse, unde praeterquam inauditarum rerum appetitu sollicitantur, aliquoties fit, ut illis in deliciis sint, quae prius erant invisa, et prius exoptata contemnant: et illud quod magis animadversione dignum apparet, sistit in eo, quod dum aliquando desiderio flagrant illis vesci rebus quae noxiae evaderent, saepius versa vice trahuntur ad illa quae maxima pro utilitate pollent. Hisce cibi appetentiis nomina tribuuntur, cissae, picae, malaciae, et falso medici illas absurdas compellant, si saepius ab instinctu excitantur, et ad meliorem gravidae existentiam conducunt. Aliquando exem. grat. gravidae calcem appetunt: aliis sub circumstantiis calx nocumentum afferret, sed in hac conditione utilis evadit. Etenim, sanitate perdurante, nullum acidum sub digestione in ventriculo evolvitur: at in morbis aliquoties acidum

extricatur, quod a medicis spontaneum audit. Chemicis innotuit hoc esse acidum aceticum. Igitur sub hisce circumstantiis prodest calx, utpote illa quae acidum neutrum reddere valet. Verum quidem est, quod nisi morbus radicitus averruncatus sit, subsequens digestio male perficitur, unde nova acidi contingit evolutio, et nova calcis necessitas insurgit. Ad veram assequendam salutudinem opus est, ventriculum redintegrare, et cum saepius illius status, ab aliarum partium conditione pendeat, aut etiam ab illo totius organismi, liquido patet quod cura dirigi debeat in principem, et primam adfectionem. Igitur, ut redeamus ad rem, statuendum est, quod illae appetentiae, quae absurdae vocari solent, nequaquam sint tales, immo vero fere semper mulierem dirigent ad illa quae proficua sunt. Interim non semper assentiendum est, sine circumspectione ulla, istiusmodi gustibus. Hoc nostro in casu, illae cupidines aut proficiscuntur a morbo, aut e graviditate. In prima positione salutem expectari non potest nisi a natura; quae aliquando illas, etiam persistente graviditate, complacat, et alias protrahit usque ad partum. In altero autem casu morbo medendum est, quidquid palliativo modo perficitur cum magnesia. Appetitus sat frequens in gravidis ille est fructuum. Isti non nocent, immo vero fistulam alimentarem lubricam reddunt. Ast caute in illorum usu est incedendum;

caeterum perturbatur digestio, enascuntur aciodum spontaneum, sordes gastricae, febres biliosae, cholera et alia similia mala. Viri, sub hoc rerum statu, tanta indulgentia uxores prosequuntur, ut nihil illis denegare possint. Laudabilis est amor, sed hic indulgentia in crudelitatem vertitur. Non expectatur ab ipsis quod uxores ad proprium munus compellant, attamen blandis verbis eis commoneant oportet de incommodis, quae a quorundam ciborum abusu, prodire possunt. Nec credandum est, quod ipsae pervicaciter animum obstinare queant ad concupiscendum illud, quod eis exitiale evaderet. Dum haec exponimus, subjungimus quoque, quod omnia gravidarum appetitui denegare damnosum foret: tristes enim fiunt, earumque sensibilitas jam valde exaltata, magis magisque perturbatur. Id quod antiquis etiam Hebraeis praeterivisum non fuit, qui, etiamsi suarum legum observantissimi esset, carnem tamen suillam, caeteris vetitam, gravidis, ubi effreni desiderio in eam trahebantur, non denegabant. Hoc praecipue valet, si propter consuetudinem cum exoptatis cibis, homogeneitatem quamdam contraxeriut, unde non admodum dispepti evadant.

Praeclarissimus Martini in sua Hygiene inquit. » Più frequente è il peccare nella bevanda, che nel cibo. » Et revera videtur abusus in hac re abusum invocare, quapropter majori in hac re gravidae uti debent circumspectione, ut illas

praecaveant: et ut talis obtineatur effectus en juxta quasnam regulas ipsae dirigi debeant in potibus seligendis, et in illorum usu.

Quoad potus pertinet sedulo attendendum est ad illorum temperiem, et qualitatem. Potus calidiores praeterquam faringem, et oesophagum, una cum adnexis viis aeriis, quodammodo magis irritabiles, et sensiles reddunt, unde sub quacumque etiam externa levideusi causa, in illis irritativi, et phlogistici processus evolvuntur; quoque, id quod maximi momenti est, robur ventriculi, et digestionem infringunt. Atqui si persaepe digestionis organa tunc temporis, propter maximam cum utero philadelphiam, adeo male se habent, quantum noxiae esse debeant causae omnes, quae illorum energiam infirmant, nemo non videt; quantum damni digestionis operi, et ex eo integrae organisationi, satis superque apparet. Sed incomoda non minora ab egelidis potibus vix non constanter proveniunt. Isti dum se ad aequipondium ponunt cum calore in viis digestivis haerente, magnam ibi reactionem suscitant; quapropter saepesepius, in hac fistula subflogistici processus, et colicae excitantur, quae etsi perraro momentosa matri damna afferant, ancipitis ominis saltem pro foetu sunt. Nam dum nervi, tubo gastro-enterico prospicientes, male afficiuntur, et ut ita dicam, spasmis corripiuntur, illae affectiones ad systema uterinum

facillime diffunduntur, qui in contractionem cietur, ac in suo cavo nidulantem excludit hospitem. Abortus a potu frigido enati reperiuntur exempla apud Mauriceau, et alios observatores. Nec indiscriminatim gravidis quicunque potus convenire potest. Spirituosis nunquam indulgeant; ipsi vitalem incitationem, qua gravitas semper comitatur, adaugent, et summa parare possunt damna. Cerevisia bonae notae, utpote illa quae non admodum stimulat, illis concedimus praecipue respectu habito quod una simul nutriat. Atque illam majori in copia gravidae haurire possunt, si assuefactionis lex illam quodammodo necessariam reddiderit. Coffeae usus, etsi gestantibus non sit interdicendus, cum quadam semper parsimonia est usurpandus, eteuim jam nimis sensilem illorum nervosum systema etiam atque etiam exaltat. Quoad theam, ipsa cutis adauget perspirationem, quae nimis profusa hac epocha non est optanda, quia hac de causa nimis vires vitales debilitantur. Chocolata, quae revera inter potiones non recensenda esset, si tamen uti talem habere volumus, praegnantibus solummodo convenire potest, dum cum nutritione, etiam aliquo indiget stimulo.

Sed inter potus ille qui maximam sibi vindicat attentionem, est vinum. De hoc quippe qui communioris est usus, facilius etiam abusus contingere potest; et contra foeminae incinctae,

mente semper recolere deberent illud magni Halleri effatum: vinum nempe quodlibet medicamentum, non potum sistere. Nos autem dum tanta veneratione maximum hunc virum prosequimur, non eo austeritatis perducimur, ut hunc non raro saluberrimum liquorem omnino vetitum velimus, dummodo usus debitos perstringatur intra limites. Si gravidae quadam ventriculi debilitate laborant, si inbecilli corporis constitutione sunt praeditae, ad illud et quidem optimum, et vetustum confugium habere possunt: alias melius conducit illo cum aqua remixto uti.

Haec pauca sufficere possunt de cibis, et potibus seligendis, deque illorum usu graviditatis tempore, feminae vero non obliviscantur oportet, temperantiam praestantiore esse adminiculum pro sanitate tuenda.

De Aëre.

Inter illa quae corpus nostrum circumdant agentia externa, quaeque ad perniciem saepesepius nostram minantur, non ultimus venit aër externus. Ipse dum vitae facem alere munus incumbit, etiam valdopere infensus, et maxima damna parere querit. Necessitas igitur exsurgit, ut gravidae praecipuas regulas dignoscant, juxta quas ejus noxios influxus praecaveant, et ideo propriae consulant valetudini.

Complures observationes liquido demonstrarunt, quantum vicissitudinibus atmosphaericis insit nocentis potentiae in gravidas. Jam Hipocrates in suis aphorismis exposuerat. » Hyeme australi, et humido, atque vere sicco, et boreali, mulieres quae verno tempore parere debent, sub levidensi quacumque causa, abortui esse obnoxias: et illas quae rato tempore pariunt, natos in lucem edere debiles, et infirmos, qui aut neci occumbunt, aut per integrum vitae curriculum in morbis versantur. Bailou enarrat anno 1570, qui semper cum nebulis et pluviis processit, immani cum calore humido, et aestuante incinctas torminibus, et nephriticis doloribus fuisse vexatas. Juxta Bartolinum constitutio anni 1672 cessit frigida, et humida, et major pars mulierum ex Haphnia aut abortus perpessae sunt, aut summa cum difficultate partum absolverunt. Permultas extinctos foetus in lucem dedere, et quamplurimae quoque aut variolis correptae fuerunt, aut febri epidemice crassante. In operibus celeberrimorum virorum Lepecq della Cloture, et Stollii observationes exstant de effectibus diversarum constitutionum epidemicarum supra praegnantes. Nonnulli observatores statuunt, multum imminutum esse cretinorum numerum in agro Valensi, postquam gravidae gestationis tempus degunt in locis elevatis, ubi humiditatem arcere possunt, quae in profundis advertitur convallibus. Exempla

ista perquam sufficientia esse censeo, ad determinandum qualem gravidis aerem conveniat. Aër purus oxygenio dives, positive electricus, qui vegetationem expedit, gravidis per eminentiam convenit, atque hoc intuitu feliciores sunt, quae regiones incolunt montuosas, et siccas. Aër e contra istis principiis depauperatus, aut paludosus pessimus haberi debet. Peroptandum esset ut foeminae, sub hacce aëris constitutione, graviditatem explerent, et tali modo aliquantulum facilius respirationis opus perfungerent, praeprimis sub ultimo gestationis periodo, sat saepe anxium. Illud tamen quod maximam, in hoc argumento sibi attentionem vindicat, id est ut utero gerentes a rheumatibus, catharris, odontalgiis, aliisque affectionibus, quas facile, per aëris vicissitudines, contrahunt, arceantur. In hunc scopum a ventis, et nebulis caveant gravidae, seduloque fugiant aëris admosphaerici repentinas mutationes. Si tanta igitur cum circumspectione praegnantes procedere debent, omnis aurae flatus illis denegabitur, nunquam eis licebit proprias linquere domus, et aperto aëre frui? Nequidquam: nos, nimia severitate inducti, talia unquam pectore moliti sumus. Ast gravidas monitas vellemus, ne hoc, nullo habito aëris respectu, faciant. Licet illis, imo vero etiam pernecessarium evadit, purum externum aërem aurire: sed hoc non convenit, nisi in quibusdam diei horis, et qui-

dem diversis tempestatibus accommodatis. Praestant hinc hyeme horae meridianae, aestivo tempore priusquam sol cadat, verno et autumno quaecunque diei horae, matutinis, vespertinis anxie exceptis, in quibus humida circumfluit aura.

Ast loca quoque adsunt gravidis non impune adeunda. Inter haec loca recensentur illa, in quibus magna viventium caterva, per respirationis officium, bonum exaurit aërem, et atmosphaeram, variis inquinatam respirationi non idoneis principiis, relinquit; utpote gase acido carbonico, et azoto in primis. Atque ad hujusmodi loca referenda sunt templa, theatra, aliaque habitacula omnia clausa, in quibus magna stipatur populi frequentia. Ibi mulieres praegnantes, cum aliqua fere semper premantur respirationis difficultate, clare elucet quanto pejus pulmones tale munus fungare possint. Praeterea nemini latet quantum haec gasa nervis sint infensa, et cum graviditatis epocha, in illis major vigeat recipiendi facultas, ratio explicatur unde, non raro tales foeminae deliquiis, et etiam sincope corripiantur. In similibus locis demum generatim animi commotiones exoriuntur, quae quantum gestantibus noceant unicuique apertum erit, dummodo animi influxum in vitam organicam perpendere velit.

De Exercitio Corporis.

Si non improbanda est illa celeberrimi Venier sententia, qui, dum de rusticanis mulieribus loquitur laboribus dicatis, et nihilosecius feliciores, pene semper, gestationes sustinentibus, fertur tales mulieres inter agrestes curas enixe progeniem marito referant, quam non peperisse, sed in agris invenisse putes; extrui debet, inertiam absolutam magnopere gravidis esse infensam. Non dissimili modo, ille summus artis obstetriciae magister Baudeloque, exercitium corporis refert inter adminicula, quae abortum praecavere valent, exemplum adducens matronae, quae suaso corporis exercitio, abortum tribus jam vicibus antea perpessum, impedire potuit. Et ultra etiam procedit in re praeclarissimus White, qui equitationem habet tanquam optimum adminiculum, ad praegnantium valetudinem tuendam. Nos vero quin huic, caeteroquin cordatissimo viro, omnino assentiamur, existimamus corporis exercitium generatim perspectum, maximam praegnantibus utilitatem adferre, et eo utilius evadere si pedibus, et aëre sereno perficiatur, nec debitos excedat limites. Verum enim vero illud plurimorum morborum evolutionem impedit, et aliquoties, illius gratia, gravissima sanantur mala. Nequidquam autem arduum erit expendere, quomodo moderatum

corporis exercitium, praegnantibus optime conducere debeat, si in mentem revocamus, quod motus corporis aequalis respirationem, digestionem, excretiones sollicitet, ac vitam sensiferam, irritabilem, et plasticam foveat. Reapse gravidae non admodum feliciter tales functiones explere possunt, quapropter neutiquam negligenda erunt illa omnia adminicula, quae gravissimas hasce naturae operationes liberiores reddere valent. Eheu! igitur quam male propriae saluti consulunt praecipue suburbanae, et divitiis viventes foeminae, quae vix conceptionis dato signo, nunquam proprias audent deserere domus. Quam damnandus est Anglorum mos, de quibus talia enunciat Fautrel: » En Angleterre les femmes enceintes, qui ne sont pas dans la misère, ne sortent jamais de leur maison. Aucun homme, excepté le mari, n'entre dans leur appartement, jusques six semaines après l'accouchement. Bien plus, elles ne reçoivent même que peu de femmes, et jamais ce qu'on appele en France société, c'est-a-dir, de femmes prêtes à jouer. Les Anglais apportent pour raison de cet usage, l'inconvenient qu'il y a, pour le jeunes filles, de voir les effets du mariage ». Hae mulieres, dum feliciori omine graviditatem persolvere autumant, pluribus, et non raro gravissimis incommodis, obviam procedunt. Hac de causa saepissime congestiones, stases, varices in illis generantur, atque vix non semper dispepsia,

aut bradipepsia laborant, unde processus reproductivus graviter labefactatur. Improbandam igitur illarum inertiam aliquando deserant praegnantes, et nisi activo motu propriis acto viribus, uti nobis perplacet, saltem, ubi fas sit, rhedis vbei jubeant, dummodo tamen per viae bene stratas pergant non nimia velocitate currentes, neque gestationis appropinquetur finis. Sub hoc enim tempore noxa insequi possent effectus, praesertim si foetus multa mobilitate gaudeat, nam pravam positionem sumere posset, partum inde arduum facientem. Atque praegnantium animum avertere oportet, ab illa praeconcepta opinione, qua seducuntur, nimirum per succussiones partum accelerari, omni etenim intuitu erronea demonstrata fuit.

Neque cum istis verbis omne gravidis concedimus immoderatum exercitium, econtra in hac re omnem commendamus illarum prudentiam, secus maxima, et quandoque immedicabilia sibi detrimenta afferre possent. Scio consuetudinis legem summum, in hac re, exerere influxum, nam visae fuerunt mulieres incommodissimis vectae rhedis longissimas peragrare vias, et attrices per integram graviditatem choreis indulsisse, quin ullum experirentur damnum; sed non ubique felices foeminae hoc modo observantur. Liffugiant igitur generatim gravidae omnem motum violentum, uti essent saltus, cursitatio, ascensus, et descensus per arduas pen-

dices, sublevatio ponderum, et sic porro; quod magis, valet pro illis, quae jam alia vice abortum sunt perpessae.

Somnus cum vires restaurent, non solum quia tunc corpus quiescit, sed etiam quia nutritionem promovet, gravidis maximam afferre debet utilitatem, et eo magis protrahendum esse sentimus, si perpendamus, quod ipse quietem systemati nervoso multopere exaltato impartit. Atque cavendum, ne dormientes a somno, de repente, expergefaciamus, ne gravia exsurgant incommoda. Respse Van-Swieten infaustum enarrat, per hanc caussam, eventum. Mulier praegnans placide obdormiebat, et prope illam incendium exardescere cepit. Mater illius summo mane, ad filiam festinat, eam a somno excitat, atque gratulatur quod tale ignorasset periculum. Paulo post infelix contremiscere cepit per integrum corpus respiratio fit difficilis: magna ex utero decurrit sanguinis unda: obveniunt inde lipothymiae, et convulsiones. Caeterum aliquantisper potuit se melius habere, ast post paullum temporis, abortus subsequutus est. Haec, etsi omnino somno interrupto tribui non possunt, nihilotamensecius aliquam et ipse de luctuosissimo eventu culpam gerit.

De Vestitu.

Primi terrarum incolae, ab aëris influxu obtegebantur, animalium pellibus induendo. Exu-

de industria artem invenit lanam contexendi, quae pellibus succedanea fuit. Talis simplicissimus vestiendi methodus, etsi nimis rudis, procul dubio hodierno antecellebat a luxu, et argutia dictato. Nam ille cunctis individuis, sub quacumque vitae epocha sine damno, convenire poterat. Hoc dici nequit de vestiendi methodo hac nostra aetate in usum tracto, cujus princeps scopus ad illud dirigi videtur, ut contra naturae leges corpus increscat, neque quod posset evolutionis culmen attingat. Si vero omnibus haec vestitus species noxas affert, quantum gravidis detrimenti esse debeat, omnibus patet. Meridiana etenim luce clarior apparet, vestes angustas pectus, et abdomen comprimentes, infensas summopere esse mammarum evolutioni, et spirandi difficultatem adaugere. Porro praepedita circulatio, et ventriculi compressio, uteri evolutionem, illiusque per abdomen ascensum impedire debent. Et quidquid magis pertimescendum est, causam sistere possunt, ut uterus a proprio recedat situ, quemadmodum observare potuerunt White, et Doering. In errore denique versantur mulieres illae, quae censent cincturas in hunc finem collimare, ut foetui praepediatur, quominus nimis alta in abdomine evolvatur, nam dum in hunc scopum enituntur, maxima sibi patrant damna; quia dum a superiore inferiora versus hae agunt, uterum comprimunt, illiusque evolutionem coercent in in-

clinatam directionem; quidquid in posterum incausa est, ut matricis prolapsus oboriatur. Neque mulieribus tantum damna restringuntur, ab hoc premiorum modo prodeuntia, sed hic foetui quoque inimicissimus est. Etenim per illum foetus, vel praematuro partu expellitur per uterinas contractiones, quae ab externa necessariam expansionem reluctante contractione cientur; vel si rato tempore prodit, vitiosus, deformis imbecillis, qui insons, maternum errorem infirma valetudine, luere debet. Tandem in lucem edito infanti matris ubera sugere impossibile persaepe evadit, nam per illorum compressionem, vel secretio lactis non apparet, vel adeo informes sunt papillae, ut a lactante ore comprehendi nequeant. Tactus ab horum malorum numero, et intensitate, non absque omni jure summus Taurinorum Physiologus Martini invehit contra imbutuum usum: » È egli possibile, sunt auctoris verba, che la smania del comparire prevalga sull' amor della sanità? Eppure la cosa è così. Maladetta vanità! Maladetta, maladettissima ». Pronum igitur esset, ut mulieres usum revocarent matronarum Romanarum, quae, etsi extra graviditatis tempus cinctum induerent, statim ac utero gestare sentiebant, vel etiam dummodo suspicio adesset, ab omni destituebantur cinctu, unde quoque incinctae passim vocabantur, quia absque cinctu abdomen comprimente se se vestiebant.

Supervacaneum existimo ad mentem revocare, quod vestes tempestati debite sint adcommodandae, utpote illud quod omnibus innotescit; sed potius magis inmorare volui supra vestium comprimentium abusum, quum frequentius de hoc, quam de illo errore mulieres culpabiles sint.

De Mentis, et Animi Directione.

Si verum est, quod nemo dubitat, ut vita sensifera maximum in plasticam exerceat influxum, si non inficiandum est quod foetus evolutio, a matre praesertim sit expectanda, clare elucescit, quantum recta mentis, et animi directio gestationis negotium coadjuvare debeat. Ac qualem hoc argumentum sibi attentionem deposcat, apparebit ab illo, quod sensibilitas exaltata, quae in praegnantibus observatur, et quae ad eo majorem gradum evhettur, ex eo quod jam insignis per se in illis advertitur; profundius a percessionibus, animique pathematibus afficiatur, unde quoque periculosiores, pro matre, et foetu, haberi possunt effectus. Proinde igitur erit nonnullas tradere regulas, juxta quas mens, et animus gestantium dirigi possint, quaeque ad sequentia prospicere debent: nimirum tristes fugare curas, animique hilaritatem serbare, ac repentinas, et nimis violentas effugere impressiones.

Mater, quae foetum in gremio nutrit, sat frequens, de proprio, et de embrionis eventu anxia manet. Quasuam ejus exaltata imaginandi vis sibi in partu, et post partum difficultates effingit, qualia pro foetu pericula, qualesnam deformitates formidat! Maternus etenim amor, una cum conceptione, initium habere videtur. Humanum ergo, et penitule opus erit gravidam arcere ab omnibus, quae has tristes ideas excitant, vel fovent. Gestationis, et partus actus facilis mulieribus depingendus est, atque gravidarum visus nunquam offendat in epileticos, mutilos, turpia monstra, quae earum imaginationem nimis vehementer feriunt. Ac summopere obstetricantium vituperandus est mos, qui ut majorem fortasse gravidarum acquirant fidentiam, aut proprium jactent in arte peritiam, longas enumerant casuum periculosissimorum series, quas prae oculis habuernut. Neque hoc tantum in gravidas terrorem ingenerare, et eas ancipites reddere potest de partus exitu, verum etiam libri, qui de hisce rebus pertractant, etsi illorum cognitionibus non ex integro respondentes, tales effectus exerere valent. Quin imo celeberrimus Mahon proscribere vellet tintinabulorum sonum, qui mortem praecipue puerperae denunciet, propter metum, quem gravidis, praesertim si genius epidemicus puerperalis grassatur, incutere debet, et hoc modo se se exprimit. » C'est un usage dans quelques petites

villes, et dans des villages d'annoncer la mort, ou le convoi, par le son d'une cloche particulière. Ce son lugubre, par l'idée qu'on y attache machinalement, n'est point entendu sans effroi par les femmes enceintes, qui sourtout si la cloche annonce la mort d'une femme en couches, le regardent comme le presage, et l'arrêt de la leur propre. Cette desolation redouble lorsqu'il se répand un maladie sur les femmes en couches principalement; et si l'une d'elles a le plus leger dérangement, on le voit, à ce branle fatal degénérér, et presenter les symptômes les plus graves, qui, tressouvent, sont audessus de toutes les ressources de l'art. Il n'y a que l'entetement de gens de la campagne, et leurs fausses idées de devotion, qui puissent empêcher la réforme prompte d'un usage si funeste dans ses conséquences. Malheureusement cet obstacle est plus réel, et même plus considerable, que bien des gens ne se l'immaginent». Quid vero dicam de foeminis, quae difficillimos partus perpessae, illorum hystorias amicis praegnantibus enarrant, atque pericula, et dolores exantlatos enumerant? Hae cane et angue pejus in illas agunt, erga quas, ab amicitiae vinculis, humaniores reddendae essent. Ista ad metum spectant, quo percelluntur gravidae sibimetipsis, et foetui respicientes; alia porro exstant a terrore improviso prodeuntia mala. Et quantum foeminae, dum in utero gestant, ab objectis

quae deforis adveniunt se se commoveant, et qualem haec animi commotio in graviditatem, et foetum exerat influxum, experientia sat superque comprobatum habuit. Unde, ut de pluribus reticeam exemplis, ab auctoribus in medium prolatis, ad hanc suffulciendam opinionem, sufficiat illud de quo Fenoglius mentionem habet. Ipse refert se a celeberrimo viro Petro Rossi audivisse, quamdam Brigidam Ferero in lucem dedisse infantem juxtae conformationis, sed in regione umbilicali meatum referentem nvoidalem, magnitudinis parvae nucis avellanae cum subtilissimis marginibus, illisque similimis, quos observantur in vulnere integumentali pene ad cicatrisationem perducto. Ab hoc meatu nuda prodibant intestina tenuia, crassa, et stomachum, quae ad medietatem crurum usque pendebant. Archini, et Bellisina de facto testes fuerunt, atque de hoc foetu deformi Marengus-Vattassius iconem tradidit. De hoc phaenomeno nulla criminari poterat caussa, nisi quod, perdurante graviditate, improviso, et gravissimo metu perculsa fuerit in taverna quadam, ubi aderant nonnulli milites, ebrietate capti, cum aliquibus foeminis altercantes, et unus ex his in eam irruit, ferocique actu ictum ad ejus abdomen dirigens, minatus est, se illam eventrare velle. Doering quoque luctus est de muliere, quae cum hominem conspexisset oscheocele laborantem, omnium probabiliter oculis

patente, in terram collapsum, domum reversa, partus dolores coepit persentire, et in lucem edidit natum hernia consimili detentum. Haec quae ab auctoribus traduntur ad effectus funestos terroris, et praesertim exaltatae imaginationis designandos, nos, nisi aperte refutare velimus, potius e terrore improviso repetimus; an intus vero in matre motuum vis, et potentia in tenellum foetum, ut monstrosa inde in membris ejus compago, et structura prodeat, hanc circa rem anceps opinio heret. Desunt quae fidem faciant, neque tamen quispiam confirmatus in opposito est. Equidem probe scimus, in hujusmodi rebus, multum fortunae tribui, atque elucet multas naturae simplices varietates, ut hominibus imaginatio, et singularis in prodigia facilitas inest, accidisse ab horrore ex aspectu dici. Nulla igitur utilitate gaudet ille Lemnii Levinii observatio, qui quum existimaret imaginem in foetu effingi debere in illo corporis situ, ubi in proprio corpore mater, sub actu violenti affectus, digitos imposuerat, foeminas commonuit hunc exitum praecaveri posse, partem pannis detergendo. Si ideo haec non omnem fidem merentur, nemo attamen inficias ibit tristissimos effectus in foetum, praecipue e terrore, scaturire. Manifestissimum exemplum nocivi influxus terroris in foeminas gravidas, et in prolem suppeditavit inopina exposio pulveris sclopetarii Lindeau anno 1793 aborta. Ex nonaginta

duobus infantibus, qui nati sunt paullo post infortunium, ex relatis Schmid., et Mesnard habemus; quod novem cretinismo affecti ante aetatem quinque annorum periere, triginta tres valetudinarii novem annos solummodo vixerunt; sex sub ipso partu mortui sunt, et viginti duo ossium fracturas hinc inde exhibuerunt.

Etsi vero vehementia, et celeritate irruentes affectus matrem, et prolem saepe affligant, nocent tamen plerumque minus, quam aliae passiones, quae lente incedunt quidem, sed mora ingrati sensus valitudinem, et vitam eo certius evertunt. Hisce animi affectibus, eorumque catervae solerter, et ubique cum ratione, et recto moramine occurrendum esse videtur.

De Coitu.

Si conjunctionis actus ea ratione absolvi debet, ut proles progignatur, per se jam claro apparet ut, conceptione peracta, nulla amplius iusit necessitas illum reiterandi, saltem tanta cum frequentia. Sed illud quod ratio suadet, imperant effectus mali, qui a coitus frequentia, graviditatis tempore, obveniunt. Revera abdominis, et idcirco uteri, compressio, nec non concutiones, quas sub veneris actu ille patitur, eo eniti debent ut foetus, qui primis graviditatis mensibus sistit nisi glomerem subtilissimorum filamentorum, parum inter se adhaerentium,

praepostere a suo asylo expellatur. Jamque, ut de aliis sileam, Mahon casum refert de muliere quadam, quae semper abortui fuit obnoxia, et cum se se a venere abstinuisset, potuit deinde tres parere natos. En ab auctore relata : » Un médicin consulté par une femme, qui avoit déja avorté cinq fois, malgré toutes la precautions, que l'art peut suggérer, donna le conseil de s'absteuir de l'acte conjugal, des le moment q'un novelle grossesse seroit confermée, jusqu'à l'accouchement inclusivement. Le mari, quoique d'une tempérament fouguex, se soumit à cette loi, et devint le péra de trois anfants ». Sed amor quoque in semetipsas, mulieres inducere deberet, ad coitus abstinentiam tempore graviditatis, nam tali modo praepedirentur fluxus sanguinei, purulenti, inflammationes, uteri scleromata, nec non degenerationes in conceptionis producto. Ex quo fit, ut laudabilissimus sit agendi modus Negrorum ex Zona Torrida, qui actum conjugalem, hoc tempora, vituperant. Nonnulli illorum separantur a propriis uxoribus, et actio execranda habetur dumtaxat illorum contactus. Hac de causa Ecclesiae S. Pater Hyeronimus percupit ut conjuges, graviditate perdurante, animantia ratione orbata imitentur, qui hac epocha, a coitu abstinentur, ne foecundationis productum disperdatur. Et etiam Canonisti conjunctionem habent uti illicitum actum, dum praevideri potest, cum aliqua sal-

tem probabilitate, ut foetui damna afferre possit; et haec probabilitas cum adsit in illis, qui faciliter abortum patiuntur, existimat nunquam satis commendandus Zacchia, gravidis ab hocce actu semper jus inesse se refutandi. Haec regulae tamen non ubique tam stricte sunt usurpandae, quia immo nonnulli autumant, sub ultimis gestationis stadiis, coitum partum expedire. Ast ne ulterioribus verbis in hoc immorem argumento, et illud melius explere valeam, huic finem facere optimum puto cum verbis perillustrissimi Montaigne: « C'est, inquit ille, un religieuse liaison et dévote que le mariage: voilà pourquoi le plaisir qu'on en tire, ce doit être un plaisir retenu, sérieux, et mêlé à quelque sévérité: ce doit être une volupté aucunement prudent, et conscientieuse, et parceque sa principale fin c'est la génération, il y en a qui mettent en doute, si lorsque nous sommes sans espérance de ce fruit, comme quand elles sont hors d'âge, ou enceintes, il est permis d'en rechercher l'embrassement. C'est un homicide a la mode da Platon. Certaines nations, et entr'autres la Mahumétane, abominent la conjonction avec les femmes enceintes ».

Monente praeclarissimo Nauche: » Quoique la grossesse soit une fonction naturelle, elle peut devenir un source d'incomodités, et d'accidents graves, qui varient suivant son terme, les organes qui en sont le siége, et la cause qui determine ces accidents ». En igitur quomodo gravidae nonnunquam ad medicamina confugium habere debeant. Sed, ut sileam de morbis gravioribus, et idcirco de congruis medicaminibus, quae omnia tantummodo a sola medicorum cognitione auxilium exposcunt, breviter solum excurram supra nonnulla therapeutica auxilia, quae passim a vulgo, plerumque sine obstetricantis consilio, usurpautur. Inter haec prima occurrit venae-sectio, in cujus abusum graviditatis tempore, nunquam satis invehi poterit, si paullum animo inducimus, sanguinem vitae praestantissimum materiam, nec unquam abundans ad injuriam pabulum esse. Attamen nihil intra praegnationem, mutata valetudine, saepius quam abundans sangnis incusatur, propterea etiam quin multa adhibeatur cura, in vera morbi indole determinanda, mulieres insonti spoliantur humore. Et, ad defendendam talem praxim, ajunt medici, cessante menstruo sanguinis copiam augeri, quod praesertim, initio graviditatis, embryonis nutritus haud tantum

impedii exigat, quantum matri defluxisset per menses. Ast in primis animadvertendum est, catamenia ad paucas plerumque uncias fluere, quaeque ad progressivam factus, et uteri evolutionem vix satisfacere valent, etiam in primo gestationis periodo; praeterea si etiam hic latex superabundaret, dummodo clare non appareat incommoda ab hac dumtaxat causa pendere, neutiquam ad venaesectionem confugiendum erit, siquidem, uti admonet praestantissimus Boer: » Vera abundantia sanguinis ad valetudinem gravidarum omnino pertineat, ut igitur quidquid eam, sine necessitate, infra naturales ritus minuit, noxam pariat ». Neque hisce verbis inferre mihi mens est, ut omnis proscribatur phlaebotomia, sed aliquantisper prudentiores medicos, et gravidas, in hoc summo praesidio therapeutico adhibendo, exoptarem. Medici ne nimis facile gestantum votis assentiant, et illae medicos precibus non premant, ne in propriam agant perniciem.

Alia porro exstant therapeutica auxilia, de quibus feminarum vulgus abutitur, et haec sub nominibus veniunt purgantium, et balneorum. Communissimus apud omnes gentes est usus, ad purgantia confugiendi, ubi alvus immorigera substantiis excrementitiis, suo tempore, non exoneratur. Si vero hoc convenit sub caeteris vitae circumstantiis, maxima cum circumspectione incedendum est, dum gravidae utero

gestant, ne praemature e situ suo excludatur foetus, aut saltem, ultra normam, digerentes non infringantur vires. Ab innumeris etenim observationibus cognitum est, purgantia, praeterquam specifica vi supra fistulam alimentarem gaudeant, virtute quoque eminenter contromulanti pollere. Ex his concludere fas est, quod si alvus pigre in gestantibus movetur, non ad fortiora purgantia deveniendum sit, verum ad mitiora, et si possibile esset, solis clysmatibus ad suum officium esse revocandum.

Ultimo enumerantur balnea, quae dispescuntur in pediluvia, semicupia, et balnea universalia. In primis attentionem deposcunt pediluvia, utpote illa, quae impune adhiberi non possunt; sanguinis etenim undam a matrice avertentes, abortum incausare valent, tanto magis si quibusdam substantiis irritantibus conficiantur. Et hic nobis arridet eximii Nauche opinionem, quae illae Levret adversatur, in medium proferre: » Ce moyen cependant est loin d' être aussi innocent, que l' annonce Levret, ainsi que l' estimable auteur de l' article avortement du Dictionaire de Medicine en 20 vol. Inde prosequitur Auctor: « Les bains sont utiles, mais il faut être circonspect sur leur emploi, durant les premiers mois de la grossesse; ils convient mieux après le quatrieme ». Et hoc ultimum effatum quoque valet pro semicupiis, et balneis universalibus, quae ultimo gestationis

periodo, maximam aliquando conferre possunt symbolam, ad facilem partum reddendum, si mulier firma corporis compage praedita, canalem vulvo-uterinum nimis angustum, et compactum referat.

En meae diatribae finis, humanissime lector
Queste mie carte in lieta fronte accogli
. . . .
Nè che poco io ti dia da imputar sono,
Che quanto io posso dar tutto ti dono.

FINIS.

THESES DEFENDENDÆ

I.

Anatomiae progressus chirurgos animosiores reddidisse.

II.

Nonnulla insecta venenum gerere, etsi organa illud secernentia non appareant.

III.

Actionem frequenter iteratam haud semper assuetudinem facere.

IV.

Vitae incitationem una quantitate peccare posse, functiones autem juxta varium, quo perficiuntur, modum.

V.

Functionum vigorem haud semper vitae vigori respondere.

VI.

Confusionem effectus topici physico-chemici medicamentorum, cum effectu generali dynamico, ad magnos pharmacologos errores hucusque seduxisse.

VII.

Medicamenta in sanguinem non agere

VIII.

Quo magis medicamenta assimilationi resistunt, eo efficaciora.